



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

II. An jus illud per omnes Ecclesias cathedrales hujus regni diffundatur, an verò ad certas quasdam restrictum sit. Quid anno millesimo sexcentesimo octavo placitum Parlamento Parisiensi. Rex ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617



LIBER OCTAVVS.

CAPVT PRIMVM.

Synopsis.

I. Agendum dein de jure Regalia. Quid sit jus illud, & in quo consistat. Regalia dividuntur in temporalem & spiritualem.

II. An jus illud per omnes Ecclesias cathedrales hujus regni diffundatur, an verò ad certas quasdam restrictum sit. Quid anno millesimo sexcentesimo octavo placitum Parlamento Parisiensi. Rex Henricus quartus prohibuit ne deinceps Parlamentum hujus controversia cognitionem susciperet; quam sacri Consistorij iudicio permisit.

III. Rectè autem intelligi non potest hac controversia quin ad antiquitatem recurratur, instituta videlicet comparatione antiqui juris & novi.

IV. Vasta est & nobilis controversia isthac, ideòque accuratè describenda.

V. In antecessum autem agendum est de electionibus canonicis Episcoporum, quatenus regia auctoritatis sive assensus regij mixtionem olim ea materia admittibat. Tum de Investituris. Et de juramento quod vocant fidelitatis.

DE Regalium jure tractaturos à nominis ipsius vel potiùs à rei per nomen significatæ origine dissertationes auspicari recta methodus omnino videtur exigere. Sed interim seposita de vocabulo ipso in alium locum opportuniori disputatione, quid illo significetur in hac materia quam aggredimur, paucis explicandum est.

Ius itaque Regalium est jus Regi competens ad fruendum redditibus qui ad Ecclesias cathedrales sede vacante pertinent, donec novus Episcopus, fide Regi præstita, Ecclesiæ possessionem adipiscatur. Competit quoque jus ad conferendum Præbendas aliisque Beneficia quibus animarum cura non incumbit. Quare Pragmatici dividunt Regaliam (ut ipsi loqui solent. quam dictionem nos quoque deinceps usurpabimus.) in temporalem & spiritualem. Ad illam referunt reddituum temporalium fruitionem; ad istam verò, Beneficiorum collationem, quæ literis regiis fieri consuevit.

II. Porrò insignis controversia ab aliquot annis excitata est, an jus istud per omnes Ecclesias cathedrales universi regni dif-

fundatur, an verò ad certas quasdam restrictum sit. Cujus quidem decisio quæstionis, cum variis senatus Parisiensis consultis in longiorem deliberationem protracta fuisset, tandem anno MDCVIII. iudicio lato in auditorio publico, adversus Ecclesias omnes pro regij juris confirmatione promulgata est. Contra sententiam illam, qua plurimum Ecclesiarum libertas pessumdabatur, clerus Gallicanus apud Henricum quartum optimum Regem graviter conquestus est, & literas negotij illius avocatorias obtinuit, quibus, cognitione illa interdicto senatu, Ecclesiarum quæ se ab eo jure immunes profiterentur status Consilij sanctioris iudicio permissus est.

III. Sed juris regij & immunitatum ex adverso propositarum plenissima cognitione imbuti non possumus nisi ab exordio narrationem per seculorum seriem diligenter expansam contexamus, instituta comparatione inter Iuris canonici regulas & juris regij novitatem; unde possumus addiscere quo tempore, & quibus de causis, à veteri & recepto jure discessum sit. Per viam illam regiam pergentibus difficile erit à vero aberrare: cujus dignitatem hac in re violant qui